

Photo 61

Photo 61
10/10/10
10/10/10
10/10/10
10/10/10

Photo 61
10/10/10
10/10/10
10/10/10
10/10/10

~~Biblioteca Universitaria
GRANADA
Sala A
Estante 31
Tabla _____
Número 110~~

~~4
H-25~~

laja 2-65



Comienzan los numeros desde .1. asta 25, y luego vueluen
à començar desde el numero .1.º y como estan se an de
coger.

Optimum of ...
a ...
copy

Del Sr. Pedro de Montenegro

Del Colegio de la Compañía de *Memoriales,* Sr. de Granada. B.B.C. 1

Tratados y varios Papeles, y Decretos Pontificios

en favor del Misterio de la purissima Concepcion de Nuestra S.^a

L.

*Nuevas Cartas de Reyes, Reynas, Princesas
assi Ecclesiasticas, como seculares*

*escritas a los Summos Pontifices en diferentes
ocasiones*

*pidiendo la definicion del misterio de la
Concepcion de Nra Señora*

Tomo Primero.



El Indice de estos Papeles esta en la op. siguiente.

*Notiene papel alguno prohibido
por el ex purgatorio de Ind.^a
o decretos q^e tenemos de lo q^e
an salido hasta el año
de 1524.*

*Labado
sea el S.^a Sacram. y la immaculada
Concepcion de la Virgen Maria nra S.^a
concebida sin pecado Original.*

[Faint, mirrored handwriting, likely bleed-through from the reverse side of the page]

[Faint, mirrored handwriting, likely bleed-through from the reverse side of the page]



[Faint, mirrored handwriting, likely bleed-through from the reverse side of the page]

2

Índice
de los Papeles de este Tomo.



Mr. [unclear] [unclear]
[unclear] [unclear] [unclear]



Sanctissimi Prædicatorum Ordinis
Sententiæ

Quibus illi Immaculatæ B. Virginis
Conceptioni directè aut indirectè suffra-
gantur: ~

253 15-148

n. 16

14-128

S. Dominicus circa annum 1200.

Huius in libro de Corpore Christi aduersus Albigenses sententia fuit. Sicut pri-
mus Adam fuit ex terra Virgine et nunquam maledicta formatus: ita deuit ut
secundus Adam Christus ex Virgine munda et nunquam maledicta formare-
tur. Beata igitur Virgo mater Christi, non fuit per Originalem culpam
maulata, ac propterea de illa Spiritus Sanctus per Salomonem ait: Nota
pulehrra es, amica mea, et macula non est in te.

Hugo de S. Caro Cardinalis circa 1230.

Huius verba sunt in commentario Luc. 1. Aue sine Va tripli corruptionis, graui-
tatis et doloris, quod incurrit Eua per peccatum, quod ab ea omnes mulieres
grater Mariam quasi iure hereditario contraxerunt. Et est aliud triplex Va
de quo dicitur Apocal. 8. Va va va habitantibus in terra, scilicet Va
Concupiscentiæ, va culpe, va pænæ æternæ, primum est in carne, secundum
in Spiritu, tertium in utroque. De secundo Osea 7. Va eis quoniam reuer-
runt à me. Sine hoc tripli va fuit Virgo gloriosa, quippe habuit triplex
bonum huius tripli va è contrario, id est, bonum continentie, bonum gratie
bonum perseuerantiæ. Primum excludit concupiscentiam, secundum cul-
pam, tertium pænâ æternam.

Certum est per Va culpa Originalis hominem à Deo recedere, fieri Satana
filium vel mancipium. Sed B. Virgo gratiam habuit, quæ culpa istius Va
excluderet, quia absurdissimum fuisset Dei matrem fuisse filiam Satanae,
et Dominam angelorum fuisse ancillam Diaboli.

Eiusdem verba in Luc. 10. B. Virgo est admirabilis et veneranda propter
octo priuilegia, quibus superat omnes Sanctos. Primum est immunitas
peccati, secundum gratia plenitudo, tertium, quod est Dei mater, quantum
fecunditas Virginalis, seu Virginitas fecunda. Ita quatuor priuilegia notan-
tur in Salutatione angelica. Primum in hoc, quod dicitur Aue, id est,
sine Va. Secundum in hoc, gratia plena. Tertium in hoc, Dominus tecum.
Quantum in hoc, Benedicta tu inter mulieres.

Elogium Hugonis in Bibliotheca Ordinis Prædicatorum. Parisijs edito pag. 117.
huiusmodi legitur. Vir fuit præclaro ingenio præditus, Concionator egregius
Preologus eruditissimus, et Sacrarum literarum explanator aculentissimus
et in illis pertractandis sicut authoritatis eximius, sic quoque assiduis et
sedulus.

Vincentius Beluacensis circa 1240.

Hic Speculi Historialis lib. 7. cap. 120. cum S. Ihesuonis vita, ac doctrina
Sanctitatem laudibus ad caelum extulisset propius capite doctrina eius
velut gustum aut specimen lectori praebere cupiens, ex libro eius de puri-
tate et parturitione S. Mariae haec verba recitat: Si non beata esset
et gloriosa eius Natiuitas, nequaquam tam manifeste celebraretur
ab vniuersis. Sed quia tam solemniter colitur, constat ex auctoritate
Ecclesiae, non solum] quod nullis, quando nata est, subiicit delictis [sed
etiam quod] Ince contraxit in utero Sanctificata Originali peccatum. Nisi
in utero matris sanctificata esset, minime eius Natiuitas colenda esset.
nunc autem quia ex auctoritate totius Ecclesiae veneratur [seu colitur
eius Natiuitas] constat eam ab omni originali peccato immunem fuisse,
per quam non solum maledictio matris Euae soluta est, verum etia[m] et be-
nedictio omnibus condonatur.

Ita Beluacensis laudanda S. Ihesuonis Sanctitate et doctrina B. Virginem
in tota sua Natiuitate, id est, non minus in principio quo nasci cepit cum
in utero matris concipiebatur, quam in eius fine, quo nata est, et ex utero
in lucem exiit, beatam gloriosam et ab omni Originali peccato immunem
fuisse confitetur, idque argumento ab Ecclesiae auctoritate, id est, festi
celebratione ducto satis firmiter probari concedit. Ex eiusdem ergo sententia
hodie multo certius est, B. Virginis Conceptionem Sanctam ac sine ullo
peccato fuisse, cum Ecclesiae totius auctoritate Conceptio eius et à peccato
preseruatio festi solemnitate celebretur. Ut autem S. Ihesuonis mens
ac sententia de Sancta Virginis Conceptione tanto clarius perspicatur,
alia eius verba hoc loco placeat appingere, quae in sermone eius de Virgi-
nis Natiuitate leguntur cuius principium est. Audite fratres: ibi sic
loquitur. Maria Virgo non sic est nata, sicut solent quies vel puella nasci,
sed de femina sterili et de patre iam sene extra consuetudinem mulierum
et refrigerentem calorem et sanguinem iam tepidum in pectore et omnem
amorem libidinis discessum, mundo corde et corpore ab omni pollutione
carnali orta est. Si enim Dominus voluit, ut de tali vasculo mater
sua nasceretur. Quid nunc scimus, quia per Spiritum Sanctum illo ordinant
et benigniter praeuemente preparauit sibi matrem que praesepit omni-
bus matribus?

Hunc Vincentium Bibliotheca ord. Præd. pag. 261. tali elogio prosequitur:
Vix fuit doctrina insignis, et adeo in omni generis auctorum lectione versata
et plurimarum rerum cognitione excolta et ornatu, ut admirationi cuius
sit non modica, quod tanta legere potuerit.

B. Albertus

Huius ex libro de laudibus Mariae hoc Petrus Canisius recitat: Hae Virgo sola à communi illa regula excipitur. Omnes peccauerunt in Adam. Ex peccato secutum est triplex Va; Va pena, va ignorantia et va culpa. Va culpa triplex, Originalis mortalis et Venialis. Sine omni isto triplici Va fuit Beatissima Virgo Maria. Fuit Maria liberissima in Substantia, quam fuit immunitas à peccato, et gratia plenitudo. Nam ubi Spiritus Domini ibi libertas.

Eandem verba sunt in libro qui biblia B. Virginis Mariae inscribitur Deut. 27. Sanctificabis Domino altare in monte Hebal (Glossa. quod Virago interpretatur) de lapidibus quos ferrum (peccati) non tetigit, qui immaculati et non corrupti carne et Spiritu (a uela Diaboli) non susceperunt. Et quis est hic (inter puros homines) et laudabimus eum? nisi ipsa sola post Deum excellentissima. Ferrum in Luc. i. perspicue affirmat, Mariam sine omni Va culpa Originali, mortali et veniali fuisse. Et in Apocalyp. 12. In capite eius corona duodecim stellarum. Prima stella et privilegium B. Virginis est peccati immunitas: quod de alijs hominibus dici non potest. 1. Joan. i. Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est. Postremo 1. Reg. 25. perspicue docet B. Virginem à Christo non post Conceptionem, sed in ipsa Conceptione fuisse Sanctificatam.

S. Thomas circa 1270.

Hic negatiue sententia alias aperte, directe et formaliter suffragatur, alias autem tertius, oblique et virtualiter, quomodo in Scholis loquuntur, hocq; partim in genere, partim in specie. In genere quidem tribus modis. Primum, dum Eclesia consuetudinem testatur nulla in re veritati repugnare ac Dei opus esse, adeoq; dicto cuiuscumq; Sancti Doctoris, quamuis ea nulla nō tatur ratione preferri oportere. Deinde dum voluntatem Superioris quocumq; modo intellectam pro tanto precepto, proq; lege habendam esse, et obedientia perfectionem in eo spectari docet, si quis intellecta Superioris voluntate expressum eius preceptum prompte obediendo proueniat. Tertio dum ex duabus diuersis eadem de re opinionibus, si quae in libris suis inuenta fuerint, eam à lectore pro ipsius vera et germana sententia haberi iubet, quae veritati, hoc est, ipso interpretante, quae siue determinationi Pontificis, siue Eclesiae consuetudini fuerit consentanea alteram vero seipsum reuocaturum fuisse testatur, si sibi in mentem uenisset. In specie autem dupliciter. Uno modo, dum affirmatiue sententia vim omnem ipse immittit. Altero, dum negatiue vim ac robur suppeditat. Vim affirmatiue minuit eamq; debilitat partim sibi non constando, sed Originale peccatum in Virgine alias affirmando, alias negando, partim argumentis eam tuendo, siue ipsius, siue Eclesiae iudicio infirmis. Unum videlicet argumentum est.



111 101
Maria indiguit redemptione Christi. Igitur peccatum Originale habuit à quo redimeretur. Huius nullas vires esse ipse alio loco iudicat, dum redemptionem et saluationem aliam fuit praeferentem ratione temporis futuri, aliam liberantem ratione temporis praeteriti, et nobiliorem saluandi ac redimendi modum illum esse agnoscit, qui praestat, ne quis in malum inuidat, quam qui à malo, in quod quis inuidit, liberat. Quia ergo B. Virgo ex se, siue ex natura sua habuit potentiam deficiendi, eaq̄ sola re puritas illius Christi puritate fuit inferior, ut ipse Thomas docet Sent. 1. dist. 17. quest. 2. art. 4. Ea est, quia ea fuit illius conditio, ut in peccatum posset inuidere, nisi propter Christi merita, praeservationis gratia ei contingeret: rectè et ipsius Thomae doctrina congruenter Christus eam dicitur redemisse à peccato non quod habuit sed quod habere potuit. Alterum Thomae argumentum est: Ecclesia Romana Virginei Conceptionis festum non celebrat, sed tantum in quibusdam Ecclesijs tolerat, respiciendo tamen ad Sanctificationem non ad Conceptionem. Igitur Conceptio Virginis fuit Originali peccato maculata. Huius quam nullae prorsus vires sint, res ante omnium oculos posita clarè rui vociferatur, quam ut ei verbum impendi debeat. Jam enim à trecentis amplius annis Ecclesia Romana Conceptionis diem festum agit, seque praeservationem Virginis ab Originali peccato et Immaculatam eius Conceptionem venerari profitetur. Negatiue porò sententiae vim et pondus addit, ea excogitando argumenta et responsiones in probandis alijs B. Virginis priuilegijs, perpetuae pura Virginitatis et Sanctae Natiuitatis quae non minus, vel diuina magis, ad tuendam praeservationis et Immaculatae Conceptionis gratiam vsui esse possunt, velut infra ex verbis eius apparebit.

S. Thomas in Sent. 1. dist. 45. quest. 1. art. 3. Puritas intenditur per recessum à contrario, et ideo potest aliquod creatum inueniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit, et talis fuit puritas B. Virginis quae à peccato Originali et actuali immunis fuit. Hoc loco meretur obseruationem quod similiter ab Originali atq̄ actuali peccato immunem fuit B. Virginem, ut pariter ab utroq̄ praeservatam significet, nam ab actuali iam contracto liberatam credere est haereticum.

Iterum eodem libro dist. 17. quest. 2. art. 4. Quia in B. Virgine fuit depuratio ab omni peccato, ideo peruenit ad summam puritatis, sub Deo tamen, in quo non est aliqua potentia deficiendi, quae est in qualibet creatura, quantum in se est.

Item in expositione Salutationis Angelicae, quod est opusculorum eius orationum: Isa purissima fuit quantum ad omnem culpam, quia nec veniale,

mortale nec Originale peccatum incurrit. Sic in vetustissimis Codicibus legi multi graues viii graeciqueq; tres clarae nominis Dominici Ambrosius Catari- nus Italus, Petrus Deauratus Gallus, et Vincentius Justinianus Antistius His- panus contestantur.

Idem in Commentarijs super Pauli Epistolas, quos iam aetate ac Sapi- entia proeclatior scripsisse creditur, Galat. 3. Lect. 6. Virum de mille unum reperi, scilicet Christum, qui esset sine omni peccato, mulierem autem ex omnibus non inueni, quae à peccato omnino immunis esset, ad minus Ori- ginali vel veniali. Excipitur purissima et omni laude dignissima Virgo Maria. Sic ex vetustissimorum Codicum collatione fr. Jacobus Albertus Castrensis Parisijs edidit, anno 1541. quomodo et alij se in antiquioribus libris testan- tur inuenisse, quibus Parisiensis Editio anni 1529. suffragatur.

Idem in 2. 2. quest. 10. art. 12. Maximam habet auctoritatem Ecclesia consuetudo, quae semper est in omnibus emulanda, quia et ipsa Doctrina Catholicorum Doctorum ab Ecclesia auctoritatem habet. Unde magis stan- dum est auctoritati Ecclesiae, quam auctoritati vel Augustini vel Hieronymi, vel cuiuscumq; Doctoris.

Iterum 2. 2. quest. 93. art. 1. Diuersae consuetudines Ecclesiae in cultu di- uino, in nullo veritati repugnant, et ideo sunt seruandae, et eas praeterire illicitum est.

Idem in Comment. i. Corint. 11. Si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, nec Ecclesia Dei. Hoc sufficit ad comprimen- dum talem, nam si NULLA esset ratio, hoc solum deberet sufficere, ne ali- quis ageret contra communem Ecclesiae consuetudinem. Dicitur enim in Psalmo: Qui inhabitare facit vniuersis in domo. Unde Augustinus dicit in Epistola ad Casulanum, quod in omnibus, in quibus nihil certi de- finit Sacra Scriptura, nos populi Dei atq; instituta maiorum pro lege habenda sunt.

Idem in sent. 4. dist. Dominus fidelibus suis promisit dicens, Vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum. Et ideo firmiter tenendum est, quod ordinationes Ecclesiae dirigantur secundum sapientiam Christi. Et propter hoc CERTVM esse debet citus, quos Ecclesia seruat esse conuenientes.

Idem Quodlibeto 9. de Canonizatione Sanctorum art. 10. Quia honor quem Sanctis exhibemus, quaedam professio fidei est, quae Sanctorum gloriam credimus, pie credendum est, quod nec etiam in his iudicium Ecclesiae errare possit, praecipue quia diuina providentia praeseruat Ecclesiam, ne in talibus per fallibile hominum testimonium fallatur; Unde sicut tenemur credere illud, quod est in Sacra Scriptura, ita illud quod est commu-



171 145
niter per Eclesiam determinationem. Unde hereticus iudicatur, qui sentit
contra determinationem Conciliorum; Et si commune iudicium Eclesie
in talibus erroneum esse NON POTEST.

Rursum 2. 2. quest. 104. art. 2. Obedientia est specialis uirtus, et
eius speciale obiectum est preceptum superioris cuiuscumque, vel expressum
vel tacitum, siue interpretatiuum, scilicet simplex uerbum prelati, eius
dicans uoluntatem. Voluntas enim superioris quocumque modo innotescat
est quoddam tacitum preceptum. Et tanto uidetur obedientia promptior
quanto expressum preceptum obediendo prouenit, uoluntate superioris
intellecta.

Idem in glosulo 72. de concordia quorundam doctorum suorum inter
discordantium, in quo multa librorum suorum loca, que pugnantes conti-
nere sententias uiderentur, siue corrigi, siue interpretatione adhibita
in concordiam redigit, quoniam merito uerebatur, ne omnes eiusdem ge-
neris pugna sibi in mentem non uenissent, ad extremum quid libe-
rem suum facere cepit, totidem uerbis exponit: Si quis aliquid inue-
nerit non concordanter, si non sit manifesta causa dicendi (ex qua secun-
dum Hilarium accipienda est intelligentia doctorum) discretiorem et
magis exercitatum consulat. Si uero non fuerit inuentum, quomodo
utrumque stare possit, alterum eligat, quod magis consonum ueritati
dicauerit: alterum uero nos ipsi reuocaremus, si talis discordia nobis
occurreret.

Cum ergo nobis iam constet ^{sentiam} negatiuam, esse consuetudini Eclesie, ac
proinde ueritati consentaneam, (nam ipse Thomas Eclesie consuetudi-
nes in nullo ueritati repugnare loco paulo prius reuocato docuit) nos
statuemus, affirmatiuam ab ipso fuisse reuocatam.

Idem in sent. 4. dist. 15. art. 2. quest. 1. ad 1. Elemosyna liberat
hominem a peccato mortali ad huc in statu uie existentem, impediens
futurum peccatum.

Idem part. 3. quest. 52. art. 2. ad 2. Christus ad inferos descendit
soluit dolores, quos Sancti Patres patiebantur. Dolores penarum soluit
preseruando ab eis, siue Medicus dicitur soluere morbum, a quo pro-
seruat per medicinam.

Eadem parte quest. 32. art. 4. ad 1. hec S. Joannis Damasceni res
Spiritus Sanctus superuenit Virgini purgans ipsam et uirtutem suscipi-
uam uerbi Dei tribuens, hoc modo interpretatur: Purgans ipsam, id est
preseruans, ne cum peccato originali conigeret.

Idem in explanatione S. Dionysii Areopagita de diuin. nomin.
cap. 8. lect. 5. perspicue docet, Sacra Scriptura et Preologorum mensura
conuenire.

conuenire, si quis diuinam iustitiam saluationis siue liberationis nomine appellat, quoniam per eam res create saluentur seu liberentur à malo: primo quidem et principaliter in quantum non permittit ea que sunt uerentia, à substantijs cadere ad hoc, ut nihil sint: secundario autem dum liberat res à malis in que iam incurrerunt.

Adeo ergo non ualet hoc pro affirmatiua sententia argumentum: B. Virgo fuit ab Originali peccato preseruata. Non igitur à Christo fuit saluata aut redempta, et contrarium, potius ex eo efficitur: Fuit igitur à Christo saluata et redempta, et quidem principaliori ac nobiliori redemptionis genere cum hic Roma doceat, eum reuè diu liberari, solui purgari et saluari qui preseruatur, ne in peccatum penamq; incidat, atq; adeo de preseruatione uerba ista primo et principaliter usurgari, secundario autem de beneficio, quo quis à peccato aut supplicio, in quod iam inuidit, liberatur.

Idem parte 3. quest. 27. art. 1. Fatetur ex Scripturis probari non posse quod Sancta fuerit B. Virginis Natiuitas, eam tamen Ecclesia facta seu consuetudine satis firmiter Sanctam probari docet, cum ita disputat. Ecclesia celebrat Natiuitatem B. Virginis, non autem celebratur festum in Ecclesia nisi pro aliquo Sancto, Ergo Beata Virgo in ipsa sua Natiuitate fuit Sancta. Cum ergo Ecclesia similiter Conceptionem Virginis celebret, doctrina D. Roma consentaneum est, eam Sanctam fuisse. Ipse enim quicquid Ecclesia festo celebrat, sanctum esse affirmat, idq; ob rationes paulo prius ex libris eius allatas quia scilicet Ecclesia nec in talibus errare possit, eiusq; consuetudines in nullo ueritati repugnent.

Idem eadem parte quest. 28. art. 2. B. Virginem in ipso partu uirginem mansisse, hoc argumento probat. Fuit conueniens ne matris honorem nascendo diminueret, qui parentes preceperat honorandos. At enim longe honorificentior et gloriosior est anima, quam Corporis, Virginitas siue ab omni peccato immunitas, neminiq; potest esse dubium, si optis B. Virgini fuisset data quin maluerit animam à peccato immunem sortiri quam Deum ex se parere nulla Virginitatis iactura. Nam in hoc nullam esse culpam necesse est, si Virginitas amittatur adeoq; nihil habes turpitudinis. Sed Originale peccatum maxima turpitudine uacare non potest cum hominem faciat immundum et filium ire ac seruum peccati ac sui Diaboli potestate constituat, quod tanquam fidei caput Concilium Tridentinum docet Sess. 6. c. 1. Multo igitur magis fuit conueniens ut Christus animam Virginis à peccato preseruaret, quam ut ex utero eius exeundo nihil Virginitatem perderet.

Rursum parte 3. quest. 27. art. 4. in B. Virgine nullum nec mortale nec ueniale peccatum unquam fuisse hoc modo docet. Illos, quos Deus



ad aliquid eligit, ita preparat et disponit, ut ad id ad quod eliguntur, inueniantur idonei secundum illud 2. Cor. 3. Idoneos nos fecit ministros noui testamenti. Beata autem Virgo fuit electa diuinitus, ut esset mater Dei, et ideo non est dubitandum, quin Deus per suam gratiam eam ad hoc idoneam reddiderit secundum quod Angelus ad eam dicit. Inuenisti gratiam apud Deum: et Concipies. Non autem fuisset idonea mater Dei si peccasset aliquando, tum quia honor parentum redundat in prolem secundum illud Pro. 17. Gloria filiorum Patres eorum: Unde et per oppositum ignominia matris ad filium redundaret: tum etiam quia singularem affinitatem habuit ad Christum qui ab ea carnem auexit; Dicitur autem 2. Cor. 6. Quae conuentio Christi ad Behai? tum etiam quia singulari modo Dei filius qui est Dei sapientia in ipsa habitauit, non solum in anima, sed etiam in utero. Dicitur autem Sap. 1. In maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Et ideo simpliciter fatendum est quod Beata Virgo nullum actuale peccatum commisit, nec mortale nec veniale, ut sic in ea impleatur quod dicitur Cant. 4. Nota pulchra es amica mea, et macula non est in te.

Jam si quis comparationem instituat inter Mariam a peccato originali et a peccato actuali immunem, illam sine omni controversia longe magis quam sane idoneam ad id iudicabit, ad quod electa fuit, ut esset scilicet mater Dei, Sarcarium Spiritus Sancti, tabernaculum altissimi, et domina ac Regina omnium angelorum. Nam actualia peccata non sunt eius natura seu conditionis, ut a parentibus ad filios transeant, (Filius enim non portabit iniquitatem Patris, Exod. 18.) Sed originale a parentibus propagatur fuitque filios uia, seruos peccati et mancipia Diaboli saltem ex natura sua, et nisi alunde accidat ne propagetur; Turpius igitur Christo fuisset, si matrem originali peccato foedatam quam veniale leuiter adpersam habuisset, cum praesertim veniale neminem a Deo separet, nec Diaboli seruum faciat, sicut originale. Neque vero quisquam est, quin longe verius illa Cantici verba in Virginem ab omni tam originali quam actuali peccato praeseruatam, quam ab actuali modo immunem conuenire agnoscat. Illa enim perpetua, haec temporaria pulchritudinis commendatio est. Nos autem dicimus eam iterum atque iterum et semper et undique beatissimam, ait S. Athanasius orat. de Annuntiatione, qui etiam in epist. ad Epist. explanans illud, Gratia plena Luc. 1. non id temporarium (inquit) in Virgine accidisse opinor, sed per omnia tempora hoc illi datum fuisse.

Idem par. 1. quest. 27. art. 6. ad 4. B. Virgo ex hoc quod est mater Dei, habet quandam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod est Deus.

et ex hac parte non potest aliquid fieri melius ea, sicut non potest esse aliquid melius Deo.

Hinc homo effui potest B. Virgini Originali peccato caruisse. aliter enim potuit aliquid ea fieri melius, nec enim controversiam habet quin eadem mater Dei perpetuo immaculata sit melior, matre aliquando maculata.

Jacobus de Voragine circa annum 1290.

Huius in sermone de Placitu Virginis verba sunt: Si quis bene consideret, inueniet, quod qui auestior fuit Deo et sanctior, ille magis afflicus est in mundo, non quidem ad purgationem peccatorum (cum nullum haberet B. Virgo, que immunis fuit ab omni peccato) sed ad maius meritum et premium consequendum.

Et sermone de Assumptione. B. Virgo non habuit admissionem Originali quia fuit in utero à Spiritu Sancto sanctificata, nec etiam habuit admissionem mortalis, quia fuit à patris potentia confirmata, nec etiam habuit admissionem venialis, quia fuit à puritate filii impregnata.

Huius vero elogium in Bibliotheca Ordinis Præd. pag. 123. tale exstat: Fr. Jacobus de Voragine si dicitur propter profunditatem doctrine quasi vocaret omnes, Archiepiscopus postea factus Genuensis, vir fuit suo tempore clarissimus, et multijuga rerum cognitione illustris, in diuinis autem scripturis versatus admodum, et voluminum D. Augustini tam diligens lector et assiduus lector, ut fere illius omnia memoria tenuisse diceretur.

Petrus de Palude circa 1300.

Huius verba sunt in Enarrat. seu Sermon. 1. de Concept. Virginis. Omnis creatura pure humana fuit peccato subdita, et per consequens Diabolo tributaria, excepta B. Virgine qua privilegio aeterni Regis dotata est, ut esset libera à censu peccati et tributo culpa. Inde Anselmus de Conceptu Virginis dicit si omnes Sancti et Sanctæ interrogarentur, utrum sine peccato essent, puto quod responderent illud 1. Johan. 1. Si dixerimus quod peccatum non habemus ipsi nos deducimus, et veritas in nobis non est, dempta B. Virgine. de qua Psal. 74. Benedixisti Domine terram tuam, scilicet per gratiam privilegij, et dicit eam esse liberam, de quo Augustinus in libro de natura et gratia. (unde de peccato agitur, de Maria nullam prorsus volo habere mentionem, quia meruit illum concipere, quem nullum constat habuisse peccatum. Ipsa fuit alissima in puritate, nam nullus pulvis peccati eam maculauit. Cant. 4. Totaliter pulchra es amica mea, et macula non est in te. Vbi dicit Anselmus. Ea puritate nitebat, qua maior sub Deo intelligi nequit. Rationem ponit S. Thomas part. 1. quest. 3. art. 26. de quarto magis aliquid appropinquat primo principio, de tanto magis participat effectum eius. Exemplificat Dio-



271 135
nysius in celesti hierarchia. Angeli qui sunt Deo propinquiores, magis propinquiant bonis diuinis, quam homines. Christus autem est principium gratiae secundum diuinitatem auctoritatis, secundum humanitatem ministerialiter. Johan. i. Gratia et veritas per Jesum Christum facta est. Sed Maria est magis propinquissima Jesu Christo, eo quod ipse de ipsa humanitatem accepit.

Et infra Rom. 3. Omnes peccauerunt, et egent gratia Dei. intelligo secundum communem cursum Prover. 20. Quis potest dicere, mundum est cor meum? quasi dicat, nullus, secundum communem cursum. De quo Augustinus de Conse. d. 4. Firmissime tene et nullatenus dubita omnem hominem concubitu uiri et mulieris genitum conceptum fuisse in peccato. Hoc verum est secundum communem cursum naturae, non autem secundum privilegium. Ipsa vero Virgo beata speciali privilegio fuit praeuata. quod considerans Salomon in Spiritu dixit. Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te. Nam si unquam fuisset in peccato Originali Concepta, non posset pro eo tempore dici Immaculata. Pro quo sciendum, quod B. Virgo merito fuit praeuata ab Originali peccato. nam Deus potuit matrem suam à peccato Originali praeuare, similiter et deicit ratione matris et filij.

Dixi primo, Deus potuit matrem à peccato Originali praeuare quia Princeps statuens legem auctoritate sua, eadem auctoritate potest legem eandem reuocare, quia lex ista habet vim ex eius institutione. Item potest eandem legem ad tempus suspendere. Item potest eandem auctoritate cum aliquibus dispensare, vel potest alicui privilegium dare. Omnia ista patent in legibus diuinis, ut Instituta et Authentica, et in alijs libris Legalibus. Et de hoc etiam sunt exempla in sacra Scriptura. De primo, Circumcisio fuit data à Deo, rege supremo, sub anathematis praecepto Genes. 17. Masculis, cuius praeputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo. Sed haec lex in nouo testamento totaliter est reuocata. De quo Apostolus Galat. 5. Dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit. Et post dicit. Vos in libertatem vocati estis, licet à corporali circumcissione. De secundo, sicut, lex dispensatione ad tempus, habetur etiam de Circumcissione, quia ad tempus fuit suspenda in deserto, et hoc propter laborem itineris. Exod. 4. De tertio, sicut de dispensatione legis Exod. 11. Nam non spoliare pauperem fuit lex à Domino data, imò ne propinquum quemcumque ut fecit. 19. Et tamen praeceptum fuit filijs Israel spoliare Aegyptios Exod. 11. Et sic Dominus legis, potest legem dispensare, sicut et fecit B. Virgini, quae fuit singulariter privilegiata, sic quod sine Originali peccato est concepta. De quo 3. sent. dist. 3. Deus potuit conseruare semen deicum, ab ista morbida infectione, manente

substantia eius, sicut conseruauit tres pueros in camino ignis Daniel. 3. Alio modo, Deus potuit illud semen mundare. Tertio dicit. Deus potuit in eodem instanti corpus perfectum organizatum immediatè sua uirtute mundare ab illa contracta qualitate ante infusionem et post hoc animam creando infundere, et gratiam Sanctificantem in ipsa creare.

Secundo deuit B. Virginem praseruari ab Originali peccato: de quo Anselmus in de Concept. Virg. Deuit ut ista Virgo ea puritate niteret qua sub Deo maior intelligi nequit. Sed si non fuisset praseruata, tunc fuisset maior puritas Angelica.

Tertio deuit. nam si non fuisset praseruata, tunc maior fuisset puritas primorum parentum, uidelicet Adam et Eue, tempore innocentia, qui fuerunt in Originali iustitia. Modo non deuit maius priuilegium conferre Adæ et Eue, quam Dei Matri Mariæ.

Quarto deuit eam praseruari. Nam dicit Augustinus, Non deuit, quod corpus Mariæ fuisset incineratum et corruptum. Sed maior est corruptio anime quam corporis. Ergo Christus multo minus permisit, quod anima Virginis subiceretur peccato Originali si non uoluit permittere corruptionem corporis eius.

Quinto deuit ipsam praseruari. Nam sicut mater Domini super omnes Choros Angelorum erat exaltanda, ita deuit ut Angelis priuilegijs esset honoranda. Modo omnes Angeli erant in innocentia creati sine Originali peccato, et non est uersimile, quod aliqua creatura, que fuit in ira Dei fieret omnibus prelata. Igitur Bernardus dicit. Nequaquam super omnes Choros Angelorum ascendisset, si eos in puritate non transcendisset.

Sexto deuit eam praseruari. Nam quicquid honoris et laudis possumus, debemus Dei genitrici attribuire, de quo Hieronymus. Quicquid ei digne impensum fuerit, totum ad laudem Dei pertinet.

OPPOSITVM uero tenentes arguunt sic Psalm. 13. Omnes declinauerunt usq ad unum Item psal. 115. Omnis homo mendax. et allegant Apostolum Rom. 3. Omnes peccauerunt et egent gratia Dei. Scotus dicit ista soluendo. Hoc uerum est de communi modo loquendi, non autem singulari priuilegio.

Secundo arguunt: Si fuisset praseruata a peccato originali, tunc fuisset Christo eius filio parificata. Responde quod non: quia adu est triplex differentia inter matrem et filium. Primum, quantum ad mysterium incarnationis et generationis, quia non fuit concepta e Spiritu Sancto Virgo Maria, nec sine corruptione matris genita sicut Christus. Secundo, fuit differentia, quantum ad mysterium praseruationis, quia Christus non indiguit praseruari, ipsa uero habuit indigentiam praseruandi. Tertio fuit differentia quantum ad mysterium glorificationis, quia anima Christi fuit ab instanti Conceptionis beata,



habens fruitionem Deitatis, non sic anima B. Virginis. Ido Augustinus de natura et gratia dicit: Cum de peccatis agitur, nullam proventus deo volo fieri mentionem. Et Origenes: Sicut mater Domini fuit intacta, et immaculata et incorrupta. Si originalem maculam contraxisset per unum horam, immaculata non fuisset. Ido Bernardus dicit: Deiuit virginum sine omni macula vitam duere qua genuit illum, quem nullus constat peccatum habere.

Tertio arguunt sic: Si mater Domini fuisset præservata et non contraxisset Originale peccatum, tunc non indignetur redemptione. Respondet Anselmus lib. 2. Cur deus homo cap. 10. Indignetur redemptione et satisfactione non propter peccatum, quod infuit, sed propter peccatum quod infuisset, nisi ignem ex speciali privilegio ipsam præservasset. In quantum fuit ex parte humane nature, et quantum fuit ex parte sui ipsius, ipsa contraxisset Originale, nisi fuisset à Deo præservata specialiter. Et ideo indignetur ista satisfactione, non pro peccato quod infuit, sed pro delicto quod actu infuisset, quantum fuit ex parte sua. Vel dicatur sic, quod indignetur illa redemptione, non propter peccatum quod contraxit, sed propter ianua celestis aperitionem. Unde quamvis multi Sancti Patres etiam hic in vita fuerunt mundati ab omni peccato tam actuali quam originali, et taliter quod nullam amplius pena ipsis deidentibus debebatur; nihilominus celestem paradysum introire non potuerunt, propter divinum decretum, qui propter peccatum primorum parentum decrevit, quod nullus per propagationem genitus Limbum euaderet, et celestem Paradysum intraret, nisi per passionem Christi filij Dei incarnati.

Quarto arguunt sic allegantes Damascenum dicentem; quod Sanctus Spiritus venit in ipsam purgans. Respondetur, quod aliquid dicitur purgari dupliciter. Uno modo quod aliquid immundum auferatur. Alio modo quod aliqua perfectio superadditur, per quam non solum mundum ostenditur; sed etiam ab omni immunditia peccati præservatur. Primo modo non intelligitur Damasceni dictum sed secundo modo. Et sic oportet intelligi commune dictum, tam Sanctorum quam Magistorum, quod dicitur quod ipsa sanctificata fuit in utero, hoc est quod Deus inspiciens animam eius corpori. per virtutem Spiritus Sancti ab omni peccati contractione mundato vel purgato, in eodem infanti infudit ei gratiam sanctificantem aut gratiam gratificantem, non quod purgaret eam ab aliqua culpa, qua profuit, sed ultra illam mundationem seu præservationem gratis datam qua istam uniuersam praeuenit eam gratiosorem et perfectiorem reddidit.

Opera porro pretium videtur huius viri Elogium subyere quod in Bibliotheca Ordinis Predicatorum Barinjs edita pag. 194. legitur his verbis.

Fr. Petrus de Palude natione Gallus ex Burgundia qui fuit Patriarcha Constantinopolitanus, vir fuit in quo praedicta multa et omni laude dignissima corruscarunt. Nam fuit vita probatissima, Theologus insignis, utriusque Juris Doctor praestantissimus, et in sacris literis egregie exercitatus. Ad posterum transmissit Commentaria eruditissima super omnes libros Biblicae, quae habentur multis voluminibus magnis contenta, in membranarum conscripta Barinjs in Conventu nostro, qui est thesaurus varus et pretiosus valde. Obijt in regno Cyprae, et ibi tanquam Beatus habetur.

Thomas Anghius Cardinalis circa 1310.

Huius Commentarius in Psalmos Roma Pat. Generalis Magistri Ord. Praed. auctoritate recognitus et approbatus anno 1310. in psal. 132. vers. 7. pag. 646. haec habet verba.

Congregans sicut in utraque aquas maris. Per aquas intelligitur plenitudo gratiarum, per utramque vero intelligitur ipsa Virgo, quae de homine mortuo, scilicet per peccatum, nihil habuit nisi pellem, id est quandam exterioriorem similitudinem, nihil enim in ea fuit de cadavere, quia nihil in ea fuit de carnis infectione. In isto utraque congregata sunt aquae maris quia quicquid gratiarum fuit in alijs Sanctis, in hunc utrumque totum simul influxit. Hieron. in Serm. de Assumptio. Vere beata virgo plena gratia quia ceteris gratia per partes praestatur, Maria autem tota se infudit gratiae plenitudo.

Hieronymus Natalis Generalis Magister Ord. Praed. circa 1320.

Huius verba sunt in Comment. 2. Corint. 5. Omnes itaque mortui sunt in peccatis, nemine excepto (dempta matre Dei) sive Originalibus, sive voluntate additis vel ignorando, vel sciendo, nec faciendo quod iustum est.

Robertus Holcot circa 1330.

Huius in Comment. Sapient. 14. lect. 160. verba sunt: Per providentiam divinam fuit continue preservata, ut esset immunis a peccato quamvis ante Conceptionem filij Dei peccare potuisset, nisi fuisset preservata. Idem vero monet priores Scholasticos cum Virginem in peccato conceptam dicunt, loqui de corporali Conceptione ante animae infusionem, et per Originale peccatum intelligere peccati contrahendi debitum. Verba eius sunt: Conceptio duobus modis accipi potest, primo stricte et proprie pro instanti infusionis animae in corpus sufficienter et debito modo organatum. Et isto modo B. Virgo non fuit concepta in peccato Originali. Alio modo multum improprie et large pro infusione seminis in matricem ex quo



corpus debuit formari in utero matris suae. Et iuxta hoc multum impro-
prie dicunt quidam, ipsam fuisse conceptam in peccato Originali.

Joannes Saulerus circa 1350.

Huius in sermone de Purificatione B. Virginis verba sunt: Hinc illi au-
sit decor, quod culpa Originalis perpetuo experta fuit, a qua preser-
vat eam filius eius, itaut ne momento quidem temporis vel ira filia
vel vas immundum, vel diabolicum, (sicut nos alij omnes) subrepta dan-
no fuerit. Praecepit enim hoc sapientia aeterna, nolens electissimum
templum suum aliqua labe adspersi.

Et in tract. de Caritatibus Carit. 4. cap. ii. Santa puritate, sanctitate
perfectione nitet et emicat B. Virgo, ut omni sit angelica puritate long-
superior, nec ulla maior sub Deo puritas queat intelligi, quam Deus
per suam Omnipotentiam, sapientiam et bonitatem tam in Conceptione
quam omni illius vita, morte et glorificatione, ultra communem natura-
modum, humanamq; conditionem insigni cum miraculo preserua-
vit dignam fecit et sublimavit, ut nec leuissimam quidem ullius unquam
peccati contraxerit labem, ut hoc diuine congruum erat maiestati, quae
ex ipsa carnem sumere dignata est. Et quamquam non defuerint, qui
hac in parte non satis illuminati diuinitus Conceptionis eius puritatem
vocarent in dubium, eam tamen Sacra Romana eademq; Catholica
Ecclesia, qua errare non potest, hoc ipso quod festum Conceptionis illius
solemniter celebrandum colendumq; assumpsit, haud obscure adstruit et
affirmat. Neq; enim id ageret illo modo nisi Conceptionem matris
Dei, omnis fuisse contagionis expertem, imo et sanctam pro certo ex-
ploratq; haberet. Profana namque festa non nouit Ecclesia.

Fr. Mathias: S. Birgitta Confessarius circa 1375.

De hoc B. Michael de Carcano Mediolanensis memoriae tradit, postquam
S. Birgitta ei narrauit, ex ipsa B. Virgine se audiuisse quomodo sine
originali macula, in Anna matris utero concepta esset, statim eum
anniuersarium Conceptionis diem cum sacris faciendis, tum concionibus
habenda celebrare cepisse, idq; redeuntibus annis religiose perpetuasse
ut in eiusdem Michaelis serm. Sabbat. 1. Dominica Aduentus parte
tertia videre est.

S. Vincentius Ferrerius circa 1400.

Huius in serm. de Natiuit. B. Virginis verba sunt. Generatio Mariae
fuit ut lux, quia sine tenebra culpa facta est. Coniunctio Iosaphati et
Anna luminosa fuit. Non credatis quod fuerit, sicut in nobis, qui in pec-
catis concipimur: sed statim postquam corpus Virginis fuit formatum
et anima creata, tunc fuit sanctificata.

Ioannes Bromiardus circa 1406.

270 155

Huius in Summa Predicationum sub titulo Maria art. 2. num. 10. verba sunt. Maria tam eminenter Sanctificata fuit, quod nec mortaliter, nec venialiter peccauit, sicut patet per S. Romam in tertia parte quest. 37. art. 6. In eadem quest. art. 2. ponit eius Sanctificationis excellentiam, quantum ad temporis prioritatem, in hoc, quod Sanctificata fuit in sua animatione, id est, in coniunctione anima cum corpore in utero matris sue, et non ante. quia Sanctificatio et mundatio fit per gratiam, cuius subiectum est anima, nihil enim est capax gratiae, nisi anima rationalis. Et num. 24. Ipsa fuit mundata ab Originali peccato, quod fuit inuenerationis et putrefactionis causa. Cessante ergo Causa cessare debuit effectus. Vbi mundatam dicit per preservationem, non per liberationem nam et infantes baptizati moriuntur ac putrescunt, quamuis per baptismum ab Originali peccato mundati fuerint Et num. 29. Filius Dei volens in aliquo loco et de aliqua muliere naturam nostram assumere, et nobiscum morari, a principio mundi nullam inuenit pro hospitio dignam, quoniam omnes peccato Originali vel actuali, vel utroque infecti erant. Tandem vero in fine mundi hanc mundissimam inueniens Virginem, in qua nullum erat peccatum, vel Originale vel actuale, tanquam gaudens de fortuna optata inuenta dicere potuit. Haec requies mea in Saeculum Saeculi Eui habitabo.

Ioannes de Surrecremata Cardinalis circa 1435.

Hunc Negatiua indirecte sed efficacissime suffragari certum est. In Reuelationibus enim S. Birgitta velut ex professo B. Virginis ab Originali peccato immunitas traditur, et summa ope confirmatur, narrante Birgitta, quo pacto sibi B. Virgo parentum suorum Sanctitatem in ipsa corporum Commissionem, suique conceptus puritatem distincte ac saepius exposuerit. Eas vero Reuelationes iussu Basiliensi Concilij tum etiam legitimi se Surrecremata accuratissime lectas, et examinatas approbasse et compluribus Pontificum, post diligentissimum examen placuisse, probatasque fuisse scribit, tanquam veras et authenticas, et a Dei Spiritu veraciter traditas, et ad utilitatem legentium et audientium pro saluberrimo fidelium dogmate in Dei Eulena in perpetuum cum deuotione et reuerentia studiosius obseruandas: velut ex Prologo eius ipsdem Reuelationibus Romae editis praemisso constat.

Leonardus Bellunensis siue de Utino circa 1445.

Huius in sermone de Conceptione cap. 2. verba sunt: Mariis gratia est preservari a lapsu, quam post lapsum reparari, ut patet in B. Virgine.



Discipulus auctor libri Sermonum, vulgo Dormi Seure
nuncupati circa annum 1440.

Huius Sermones Rudolphus Clutius Dominicanus à se recensitos anno 1612
Coloniae edidit, in quo Sermo quintus de Conceptione Virginis totus in haec
occupatur, ut Sacramentum literarum et S. Patrum auctoritatibus, inter-
punctionibus, revelationibus et miraculis B. Virginem à Deo preserva-
tam et sine peccato conceptam fuisse unicat. Inter caetera haec pag. 44
verba eius sunt.

Cum tot magni et solemnes Doctores quorum aliqui sunt magni dam-
teneant quod Maria sit sine Originali: sequitur quod à quolibet Catho-
lico est tenendum.

Sanctius de Porta circa annum 1500.

Hic post S. Vincentium predicandi gloria parem habuisse neminem tradi-
tur, cumq; de laudibus et festis B. Virginis coram Pontifice et Cardina-
libus perorasset, statim eum Pontifex S. Palaty Apostolici Magistrum
dixit, isq; eius Sermo postremum obtinet locum in libro eius Valentis
anno 1512 edito, ubi in hunc sensum declamitat.

Haec sola Virgo privilegium habuit non contrahendi commune pro-
parentis peccatum, quoniam Spiritus Sanctus eam totam praeuenit, et ea
toto ab omni peccato immunem fecit. Haec privilegatissima Virgo
mali carentiam: unde excipitur à regula generali: de qua cum S.
Augustino, cum de peccatis agitur non habere questionem.

Cardinalis Caietanus circa 1520.

Hic in Comment. i. 2. quest. 81. art. 3. editionis prima et novissi-
ma hoc modo Negativè adversus Eodes eius patrocinatur.

Si quis non incurreret peccatum Originale, vel in actu, vel in neces-
sitate habendi illud, talis non egeret Christi redemptione, quod heret-
ticum esset dicere. Sed si omnes ex ipsa sua generatione obnoxij sunt
peccato Originali, hoc sufficit ad indigentiam redemptionis. Neq; enim
solum redemptione indiget actualiter captivus, sed etiam obnoxij cap-
tivitate. Et haec bene notabis tu Promista, ne nimis Zelus non secun-
dum scientiam accensus erronea dicas, quae non sunt erronea, cum de
B. Virginis Conceptione disputas aut praedicas.

Sensus est, Negativam non condemmandam esse errois. non enim bo-
num hoc argumentum esse. B. Virgo non fuit concepta in peccato. Non
igitur fuit à Christo redempta. Nam Virginem actu non habuisse Ori-
ginale peccatum, habuisse tamen potentia, et ex generatione sua
fuisse peccato obnoxiam, itaut in peccatum incidere, et captiva
fieri potuerit. Ne autem actu incidere et captiva fieret, hoc ei ex
arantia

gratia propter praeviam Christi mortem contigisse, adeoque vere a Christo redemptam fuisse.

Totus Ordo Praedicatorum anno 1524.

Sanctissimus D. N. Urbanus VIII. in manibus habuit libellum Hispani anno 1524. editum hac inscriptione. Manuale Fratrum Praedicatorum, cuius fol. 78. b. hoc de B. Virginis Conceptione totius ordinis Decretum legit:

Quia Ordo Praedicatorum solitus est Sanctorum doctrina adlerere, sustinuit huiusq; opinionem B. Hieronymi, Augustini, Ambrosij, Bernardi, Gregorij, Bonaventura et aliorum Sanctorum Doctorum quod B. Virgo fuit concepta in originali. Sed iam de hoc non est curandum, cum sit materia nullius utilitatis, et valde scandalosa, praesertim cum tota fere Ecclesia, Cuius usus et auctoritas secundum B. Romam praevalet dicto Hieronymi et ceteris ^{alterius} cumq; Doctoris) iam asserat quod fuit praeservata. Nec mirum, quoniam tempore Augustini tanta questio erat de Assumptione B. Virginis. Unde dicit. Homo non fingat mendaciter apertum, quod voluit Deus manere occultum. Et tamen iam uniuersaliter tenet Ecclesia, quod sit assumpta in corpore et anima, et oppositum nullus auderet iam opinari. Aduerte quod cum actus matrimonialis exercitus in caritate, maxime a Sanctis Uxoratis (quales erant parentes Virginis) sit meritorius et Sanctus secundum utramq; opinionem: pleno ore diu DEBEI, quod Conceptio Virginis benedictissima qua talem actum importat, fuit Sanctissima et purissima.



Hoc decreto Negatiuam probari et Stabili, Affirmatiuam vero reijci a veterari videmus. Probatum Negatiua partim ratione, partim auctoritate. Ratio est. Qualis causa talis est effectus. Jam actus Matrimonialis parentum Virginis qui causa est Conceptionis, fuit Sanctus et meritorius, quippe non ex libidine, sed ex caritate sive obedientia exercitus, quoniam mori maluissent, quam corpora committere, nisi Angelo id iubenti obedire voluissent, quemadmodum ipsa Virgo S. Birgita reuelauit. Itaq; etiam Conceptio ipsa Virginis fuit Sancta. Auctoritas est, quia tota fere Ecclesia asserit B. Virginem a peccato fuisse praeservatam. Plus autem usui sive mori Ecclesiae credendum esse, quam cuiuscumq; Sancto, ipse etiam D. Thomas docet. Affirmatiuam repudiat ac damnat duplici titulo, primum quia nullius sit utilitatis, deinde quia sit valde scandalosa, quod nullius eam utilitatis esse dicunt, significant vanum modo preceptum esse, quod quidam cauentur, se affirmatiuam ideo tueri ut primum saluus sit Christo honor suus; deinde, ut salua sit Scriptura sua auctoritas: tandem, ut salua sit S. Patribus sua exfirmatio. Nam quod ad primum attinet, recte hic Ordo iudicat

affirmatiuam nullius utilitatis esse, propterea quia Christus non negatur
Virginem redemisse, cum Virgo propter Christi mortem praecursam à peccato
in quod ex natura conditione incidere poterat, ex gratia preservata
dicitur: neque etiam verum esse propterea desinit, quod Christus solus pec-
catum non habuerit. Christus enim sine peccato Originali fuit ex
natura. B. Virgo ex Christi ipsius gratia. Sed neque de Scriptura au-
toritate quicquam diminui verum est, quamuis Virgo sine peccato con-
cepta credatur, cum loca Scripturae, quae omnes Adami posteris sub
peccato concludunt, de natura loquantur, quod scilicet quisque ex se est
secundum ordinarium naturae cursum, non de eo, quod ei ex gratia
contingit, quemadmodum etiam omnes homines cum peccato nasci, siue ex
utero exire, et adultos peccata facere eadem Scriptura affirmat, ne-
tamen impedit quin Jeremias et Iohannes Baptista in utero sanctificati
fuerint, et B. Virgo nullum unquam peccatum fecerit, quoniam scilicet
his ex gratia hoc obtigit, verba autem Scripturae de natura loquuntur.
Eandem nec patribus quicquam existimationis deperire. Ordo reuere
statuit, etiam si de Virginis Conceptione perperam sensissent, cum certum
sit eos opiniones suas Ecclesiae definitioni et consuetudini subiecisse,
velut exemplo Assumptionis Mariae docemur. Etsi enim multi Sane
Patres de illa dubitarunt, qui tamen Ecclie de eadem dubitaret, Ecce-
sis suspicionem moueret, quoniam Ecclesia festum Assumptionis cele-
brat, quam errare non posse certum est. Quod demum Ordo totus affir-
matiuam sententiam valde scandalosam esse iudicat, praesertim quia
Ecclesia contrarium sentit, et festi atque officij proprii institutione, im-
maculatam Virginis Conceptionem docet, ad eandemque credendam et
praedicandam Indulgentiarum premio fideles omnes inuitat et ex-
hortatur, in eo nihil iudicium eius falli sponte sua quicquam sanus in-
telligit, et rerum usus siue experientia comprobat. Abesse enim
non potest, quin illi, qui affirmatiuam tot Ecclesiae prauidicijis im-
probata tenere pergunt, nec voluntatem eius tot tam illustribus sig-
nificationibus declaratam, pro tanto precepto habere animum inducant,
contentiosi, parum morigeri, et sensu carnis suae inflati existimentur,
multis etiam Ecclesiae vilescent auctoritas, cum videant ipsos fidei cus-
todes Dominicanos, in ea esse opinione, quod Ecclesia in cultu
diuino, in festis instituentis in dandis indulgentijs, errare possit,
et sententiam Sacrae Scripturae minime consentaneam probet, omni-
busque fidelibus, ut iam veram fidei consentaneam probare conetur. Per hoc
etiam mouet, et odio erga affirmatiue patronos auerit atrocissima, quae
non modo B. Virgini, sed ipsi etiam Christo fieri putant, contumelia

Horrescunt enim credere mulierem qua serpentis caput contritura erat, aliquando ab eo fuisse contritam, et matrem Dei fuisse Diaboli filiam, et Dominam Angelorum fuisse peccati et satanae, quamvis brevissimo tempore mancipium. Inquit etiam eis videtur vel impotentem facere Christum qui matrem in iustitia creavit, atq; à peccati feditate et servitute Diaboli praeservare non potuerit, vel non gratum parumq; reuerentem erga matrem ab aeterno praedestinatum, cui minus honori habuerit, quam alijs suis operibus, vel creaturis. In Angelis enim simul fuit condens naturam et largiens gratiam: Eam etiam omnis peccati et mali nostri fontem in gratia et innocentia statu creavit. Cur igitur eandem matri gratiam non pariter impertiretur? Propter tanta ergo scandala merito Theologis suis Ordo faciendum censuit, ut in posterum affirmatiua abudicata, ac reuera pleno ore cum reliqua Ecclesia uniuersa dicerent, Conceptionem beatissimae Virginis fuisse sanctissimam et purissimam.

Guilhelmus Lipinus circa 1527.

Huius maximi Oratoris et insignis Theologi Jurisconsulti ac Philosophi liber est de Imitatione Sanctorum, in eoq; Sermo de Conceptione B. V. ubi sic verba facit.

Duas tantum Conceptiones colit Ecclesia, videlicet Christi scilicet Martyris in festo Annuntiationis B. Mariae, et hodie 8. Decembris Conceptio eiusdem Deiparae dignissima. Cuius ratio est, quia tantum ei duo conceptus sunt Sancti et absq; labe Originalis peccati. Longe tamen differunt haec dua Conceptiones. Conceptio Christi non potuit aliter esse quam Sancta pura et Immaculata; Conceptio autem Virginis, nisi diuinitus et ex specialissima Dei gratia fuisset praeservata et praeservata, utiq; fuisset vitiosa, polluta et maculata sicut et Conceptiones ceterorum hominum. Designatur illa per Rubum, qui comburi non debebat per culpam sed semper in virore gratiae permanere debebat ab instanti Conceptionis sua. Comparatur palma et Rosa, Palma defem' solet in signum victoriae. Rosa autem pulchra est et munda quamvis procedat ex spinosa arbore. Sic Virgo Maria habuit victoriam contra serpentem antiquum, ne morderet ipsam per Originalem culpam, et Eae (quod canit Ecclesia) sicut spina rosam, genuit Iudaea Mariam.

Totus Ordo Praedicatorum anno 1530.

Itam Lipini sententiam totus mox Praedicatorum Ordo amplexus est, velut ex Missali ordinis, edito Hispani anno 1530. apparet, cuius folio 199. ista legimus:

In Sabbatis Adventus quando de B. Virgine agitur: sequentia. Virgo, Davidis stirpe nata, inter spinos lilia. Ad lapsus reparatur, Eae pudor expiatur, Per Mariam Virginem, Ave Virgo singularis, qua per Rubum designaris

Non passum incendia. In serena sole vero, Cella plena vino mero, Stratum
sine galea. Tu fecunda, tu fecundans, Mater munda mundum mundum
Exemplar mundicie. In te nostra est Natura Non secundum sua iura
Inter spinas flos fuisi, Sic flos flori plauridi. Licetis gratia. Et pot.
In festo Conceptionis beatissime Virginis Mariae officium. Gaudeamus omnes
in Domino diem festum celebrantes sub honore Mariae Virginis
cuius Conceptione gaudent angeli, et collaudant filium Dei. Oratio
Supplicationem Seruorum tuorum Deus miserator exaudi, ut qui in
Conceptione Dei genitricis et Virginis congregamur, eius intercessionibus
à te de instantibus periculis eruiamur. per Christum D.N.

Petrus Deauratus sive Dore circa 1540.

Hic clarissimi nominis Doctor Parisiensis librum Gallico sermone edidit
Imago virtutis in scriptum, cuius primo capite hæc habet:

Beata Virgo qua ad gratia et salutis nostra auctorem propius accessit
quam quavis alia pura creatura accedere potuerit, plus ab illo gratia
et perfectionis accepit, et per consequens ab Originali peccato immunitatem;
nam quid est aut esse potest Deo propinquius, quam esse Dei
matrem? quare illa una præ ceteris, qua viri qua, foeminae quot
quot sunt, gratijs et perfectionibus in sua Immaculata Conceptione dota
tata, ab aliorum subiectione exempta, et omnino sola isto priuilegio
ornata est. Ne dius queras, Una tantum est de qua bene sponsus
in Canticis. Una est Columba mea perfecta mea. Et cap. 2. Beata
sunt anime à peccato Originali per baptismum purgata, beatiores illæ
quæ fuerunt Sanctificata, antequam natus esset homo ut in utero ma
tris Jeremias et Johannes Baptistæ. Sed beatissima est Domina nostra,
si abundè per gratiam Sanctificata ut peccatum Originale nunquam
contraxerit. Ita scribit S. Thomas de Aquino operibus Expositionis
Saluationis Angelicæ et 1. sent. dist. 44. art. 3. et solut. dub. 3. Virgo
fuit absq. peccato Originali, veniali, mortali. Eue, quid S. Thomas
definit in sententijs, quamuis postea cum alijs contrariam
opinionem pronuntiavit. Sed non dum ab Ecclesia definitum erat ut
odie, quod domina nostra immaculata sit in Conceptione sua.

Quod præstans hic Prologus Negatiuam ab Ecclesia iam definitam
affirmat, id verum est de definitione ex parte rei, sed non etiam ex
parte hominum. Cum enim definire sit finem statuere conquisitioni
de rebus ad fidem ac mores, siue ad animarum salutem pertinentibus,
conquisitio autem non modo ad qualitatem rei definienda, sed etiam
ad qualitatem hominum respiciat, hoc est rationem habeat, non modo
quid verum sit, sed etiam quid homines capere possint: fieri soepe

solet, ut aliquid definitur ex parte rei quod ex parte hominum non
 dum sit definitum, hoc est, ut finis quidem allatus sit dubitationi de rei
 veritate sed non etiam inobedientia; Verbi gratia in primitiva Ecclesia
 definitum erat ex parte rei circumcisionem aliaq; Legalia per Christum
 esse sublata, quia finem controversia auergerat, ut de eo quid in re
 ipsa verum esset, nouam conquisitionem fieri, nihil necesse esset: non
 dum tamen id definitum erat ex parte hominum et ea definitione stare
 atq; circumcisionem missam facere necesse haberent. Erant enim infirmi
 in fide, nec ad huc capaces solide doctrine, idque propter Zelum pro lege
 Moysis, et propter emulationem paternarum traditionum, quibus ab in-
 fantia adseuerant: qui vero Zelo et emulatione animum occupatum
 habent, sunt infirmi, ac velut pueri quibus lacte opus sit, non solido ci-
 bo, velut Apostolus docet 1. Cor. 2. et 3. et Hebr. 5. Similiter definitum
 iam est ab Ecclesia ex parte rei Mariam sine peccato fuisse conceptam.
 Finem enim conquisitio veritatis accepit, cum sententia ita certa sit,
 ut ea nullo modo iam condemnari possit. Sicut enim in Constitutione
 sua assertionem illam, quae Negatiuam condemnat, reprobare se ac
 damnare declarat tanquam falsam, peruersam, erroneam, et a ver-
 itate penitus alienam. Negatiua igitur in fine erronea esse nequit. Non-
 dum tamen hoc definitum est ex parte hominum, quoniam Ecclesia
 considerans quosdam Zelo et contentione teneri, adeoq; solide doc-
 trinae nondum capaces esse, eorum infirmitati materna indulgentia
 pepercit, nec id, quod verum iudicat, cum omni imperio suae laqueo
 iniecto docuit, tanquam apostoli verbi diceret: Sapientiam loqui-
 mur inter perfectos. Vobis autem non potui loqui, quasi Spiritualibus,
 sed quasi carnalibus, et tanquam paruulis in Christo lac vobis potum
 dedi, non escam. Cum enim sit inter vos Zelus, et contentio, et vnus
 aduersus alterum infletur, nonne Carnales estis?



Ordinis Praedicatorum Episcopi in Concilio Tridentino
 anno 1546.

De his Ambrosius Catharinus Politus, qui et ipse ex eodem ordine Epis-
 copus Concilio interfuit, in libro de Conceptione ad Synodum Tridenti-
 num edito Roma anno 1551. ita scribit pag. 94.

Tridentina Synodus unanimi omnium Patrum consensu Septinas
 illas Constitutiones renouauit et confirmauit: quid hic amplius ex-
 cusationis manet vobis. Omnes enim Episcopi id concorditer egerunt
 et conluserunt, nec fuit quisquam qui se opposuerit. Non est igitur
 vobis integrum dicere. Illae Constitutiones fuerunt Sixti qui fuit ordinis
 Minorum. quandoquidem eae vniuersali Synodus confir-

171 205
mauit, in qua erant plures Episcopi ordinis Predicatorum, qui nequaquam reclamauerunt.

Totus ordo Predicatorum anno 1550.

Huius mentem ex Breuiario Dominicanorum quod hoc anno Parisijs apud Hieronymum et Dionysium de Marnef typis descriptum exijt, cognoscere possumus, cum in eius Calendario 8. Decembr. non Sanctificationis, sed Conceptionis Virginis Mariæ festum collocarint.

Johannes Viguierus Granatensis eodem anno.

Huius summi Theologi in Institutionibus Christianis capite 18. §. 2. verba sunt:

Si dicatur quod Be. Virgo non habuit peccatum Originale, licet proserit ab Adam secundum rationem Seminalem: diendum est quod ipsa sola speciali gratia praesentata fuit et praeservata, eo quod fuit praesens esse mater et domus Dei. unde psalmus. Domum tuam decet Sanctitudo. Et de ea Salomon Nota pulchra es amica mea, et macula non est in te. Ex quibus autoritatibus potest haberi privilegium, maxime autem ex autoritate Ecclesiae quae errare non potest. Et licet mortua fuerit, mors tamen non fuit illi pena sed conditio naturae. Et cap. 20. §. 9. de Annuntiat. Ave, est dictio composita ex A, et Va, interiectione expectantis et maledicentis, et sic significat absq. va seu maledictione tam peccati Originalis quam venialis et mortalis.

Ambrosius Catharinus Politus anno 1551.

Celeberrimus hic Theologus, linguarum plurimum cognitione omnique politiorum litteratura cultissimus per 25. annos pro Immaculata Virginis Conceptione et voce et scriptis strenue pugnavit, velut ex libro eius de Conceptione ad Patres et fratres ordinis Predicatorum anno 1532. Semel editum ex illo quem ad Concilij Tridentini Patres scripsit Romaeq. anno 1551. edidit, cognosci potest in illo Senensi pag. 12. haec leguntur.

Et si haec sententia de Immaculata Domine Conceptione ea ratione ad fidem non attineat, quia nondum sit damnata sua contradictoria Haereticis nomine: non nihil tamen ad fidem spectat, eo quod iam diu ab Ecclesia Catholica recepta sit. Nam et decreto summi Pontificis ubiq. terrarum de cuiusmodi ornatu Dei prerogativa solennes Ceremoniae ac festiva gratia per Missarum ac divini officij sacrosancta sollemniter peraguntur. quo nomine divini cultus adaequatus etiam cum indulgentiarum favore celebratur. quare si Roma doctrinam, in qua etiam gloriabilissimi, sequi vultis, profecto Apostolici culmini sensum, unde de isto mos celebrandi probatus est, venerabiliter suscipere ac sequi sine ullo scrupulo debetis. quid enim magis docuit Sanctus Doctor

274 159

tum verbo, tum facto, quam in huiusmodi Romanam Euleciam, et matrem atq; magistram ab omnibus cum omni obsequio ac veneratione sequendam esse.

In Romano autem pag. 61. Fateri necesse est B. Thomam nostram aliter quando admisisse sententiam, cum dedit Virgini eam puritatem, qua sub Deo maior non queat intelligi, et eum gradum quo esset propinquissima Christo. Num ad id et eundem in expositione salutationis Angelicæ, ubi dixit: Ipsa enim purissima facta fuit, quantum ad culpam, quia nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit. Ita enim in multis Codicibus antiquis communiter legebatur quod non ausus est etiam ipse cum crementata inficiari.

Ludovicus Granatensis circa 1560.

Huius viri Sanctimonia, Sapientia et eloquentia longe maior fuit, quam ut cuiusquam precorij indigeat; quod minore negotio probare omnibus debet quod in prima sua Oratione de B. Virginis Conceptione, totidem verbis scripsit.

Ut magnum filij delectus est ex accusanda matre nasci, ita non vulgaris eius honor est de honestissima genitricis gloriari. Quo circa si filijs in manus esset ut matrem eligere aut efficere possent, eandem dubium, quin eam supra cunctas feminas ornatissimam et honestissimam eligerent. Cum igitur Dei filius hac tanta potestate praeditus esset (qui solus et matrem eligere, et talem facere posset, qualem vellet, ne hoc ipsum maioribus expensis quam sola voluntate efficere posset) quis iam dubitare queat, eum matrem super omnes creaturas excellentissimam atq; Sanctissimam elegerit? quis enim rem adeo pretiosam tam facili pretio hoc est, solo voluntatis nutu comparare nollet?

Eiusdem verba sunt.

Singularis deuotio, plausus populi Christiani, celebritas Conceptionis, iam pridem instituta clamare videntur, et suo quasi iure definitionem postulare. Et certe vix aliud est dogma definitum ab Eulecia quod ante definitionem tanta acclamatione receptum fuit, quod certi multum mouere debet Principes et Praelatos, ut hanc definitionem à Summo Pontifici enixe petant.

B. Ludovicus Beltramus circa 1570.

Hic dicere solebat, cum Summi Pontificis et vniuersa quasi Eulecia Negatiua sententia, tanquam pia ac sancta doctrina tantopere fauerant, cum sergum eidem adhaerere, tum de S. Roma alijsq; vetustioribus Doctoribus habere persuasissimum, eos si Eodie in terris uiuerent, similiter eam probaturos ac defensuros esse, et in auxilio ad Historiam



171 153
vite ac miraculorum. cuius auctor est Vincentius Justinianus Antistius
Dominicanus.

Theologi Ordinis Præd. Valentia circa 1575.

Idem Justinianus eiusdem Auctarij §. 18. omni asseveratione confirmat,
se admirabiles Conciones multorum gravissimorum Dominicanorum audiri
uisse, quibus egregie declararent, quomodo B. Virgo potuerit esse, atq[ue]
adeo fuerit præservata ab originali peccato in primo creationis sua momen-
to, per copiosam et expressam redemptionem filij Dei. Et §. 8. narrat, Val-
entia post Concionem à fr. Carbonello Prædicat. ord. Theologo pro Imma-
culata Conceptione habitam omnes Magistros, Doctores et Prædicatores
eidem Carbonello tanquam Archiepiscopi Coadutori conceptis verbis iurur-
randum dedisse, se puram Virginis Conceptionem perpetuo defensuros, et
inde ab eo tempore neminem in Valentia Academia ad ullum gradum
admitti, nisi prius eodem se Sacramento obstrinxerit.

Joannes de Peña circa 1578.

Hic celeberrimus Theologia apud Salmantienses Doctor in Lectionibus pub-
licis immaculatam Virginis Conceptionem docens dicere consueverat, se
in ea opinione S. Romæ Spiritum sequi, etsi à litera eius discedere videret-
ur. Romam enim declarationem, inclinationem et applausum Ecclesie
et capitis eius expectare, se vero de ysdem iam certum esse. Addebat, infini-
tum hominum numerum ex festo Conceptionis devotione auendi et ex
consideratione summe puritatis in B. Virgine peccatorum cuius penitentia
eag[ue] per confessionem expiare, et per Sacram Communionem aduersus il-
la se munire, quod argumentum sit, rem Deo placere, ac Diabolo perniciosam
esse. Hoc de illo testantur idem Justinianus eiusdem auctarij §. 10. et
Henricus Henricus 3. de confirmat. cap. ii. litera I. et Joannes Bineda
in Concione de concept. anno 1578. pag. 21.

Totus Ordo Prædicatorum anno 1579.

Generalis Ordinis Prædicatorum Magister Scragginius Caballus Marty-
rologium Ordinis sui, cum exemplari antiquissimo, quod post festum S.
Dominici obitum anno trigesimo tertio scriptum fuerat, diligenter colla-
tum ad eiusdem fidem expressum hoc anno Salamantica typis describens
cum curavit velut ex Joannis de Palencia Dominici præfatione
constat. In eo autem Martyrologio die 8. decembris duobus locis Conceptio
Sacratissimo Virginis Mariæ, nusquam vero Sanctificatio legitur. Unde
discimus in toto Ordine non eo modo anno, sed etiam statim post S. Do-
minici obitum Conceptionis tanquam sancte festum celebrari fuisse
solutum.

Toty

Totus Ordo Prædicatorum anno 1582.

275 160

Idem Ordinis Martyrologium hoc anno cum Venetis, tum Romæ conscriptis et annuentibus sine dubio Generali Ordinis Magistro Hieronymo Xaverio item S. Palaty Magistro typis descriptum non Sanctificationis sed Conceptionis festum exhibet, ut de eo quid tum Ordo senserit, nemini dubium esse possit.

Hieronymus Almonacis anno 1586.

Hic Sacrorum Bibliorum in Complutensi Academia interpres doctissimus hoc anno Commentarium edidit in Canticum Salomonis, ubi in explanatione octavi capituli part. 2. pag. 142. ista legimus.

B. Virginem non serpentis astutia seducere potuit nec pomi pulchritudo ad peccatum allucere: quæ ab ipso statim sue Conceptionis momento omni culpa etiam levissima carens, divini amoris impulsu incitata ascendere semper conata est, nunquam vel per levissimam culpam defendens.

Theologi Ord. Præd. Betica, et Valentia

Vincentius Justinianus Antistius anno 1593.

Hoc anno egerit Justiniani liber ille de B. Ludovici Bertrami vita et miraculis, in cuius aulario Negativa ex professo propugnatur; Cuius etiam §. 18. ista legimus.

Multa sunt Ordinis nostri Monasteria, in quibus Conceptionis festum, quanta usquam terrarum solemnitate celebratur. Et in Provincia Andalusia, ubi inveniuntur excellentissimi Patres Prædicatores, agitatur festum istud cum octavario solemniter non obstante Adventus tempore. Et huius nobis Canonij primarium Cymbalum hæc præfert inscriptionem. Maria Virgo ab omni originali peccato immunis fuit.

Et ibidem paulo prius: S. Thomas in opusculo expositionis Salutationis Angelicæ, et in sententiaris dixit, Virginem ab omni peccato tam originali quam actuali liberam, et immunem fuisse.

Hunc porro Vincentij librum tanquam sanam et Catholicam doctrinam continentem duo Valentina Academia ex Prædicatorum Ordine Theologi Didacus Mas, et Hieronymus Baptista Natta, commendare minime dubitarunt. Et ipsius auctoris in Bibliotheca Ordinis Prædicatorum Parisi edita pag. 267. hæc præstat elogium.

Fr. Vincentius Justinianus ex Provincia Aragonia, vir ingenio felix, in studiis diligens, in evolvendis Annalibus, et rerum antiquarum monumentis, assiduus, et tam in Aristotelis, quam etiam in Scholastica doctrina exercitatus, ac lector Theologiae eruditus, et dignus, quem Dominicans familia alumnus omnes multo persequantur amore, et multum venerentur.

Est, Virgo in Adam
et Evam non peccavit.



Alphonsus Siron circa annum 1600.

Huius Conuiones festiuales Dominio Baniæ alysq; Dominicanis mag-
noperere approbantibus in Germaniam fuerunt misse et Moguntia anno
1605. edita, quarum Conuione prima de B. Virginis Conceptione pag. 60.
ista legimus.

Hodierna die huius grandi operi intra uterum matris Annæ diuinus arti-
fex primam manum admouere dignatus est; Statim enim ut corpus fuit
debite organitzatum, infudit animam gratia et celestibus donis plenam.
Iacq; (ut Augustinus dicit de Angelis) Deus erat cum sacro illo fetu, si-
mul condens creaturam et largiens gratiam.

Et Cone. 2. pag. 73. Custodiuit Dei filius Paradisum suum, dum do-
mum Virginealem deliciarum suarum seruauit ab omni culpa neq; in
hunc paradysum inuenire potuit ingressum callidus serpens. Fuit enim con-
clusus hortus, imò ipsa Virgo serpentis contriuit caput.

Et cone. 3. pag. 76. Huius Sacratissima Virginis Conceptionem purissi-
mam et ingressum Sanctissimum in uterum matris Annæ hodie celebra-
mus. Hodie celebrat Eulera felicissima principia sacra Virginis Mariæ,
meliora quam exortus sanctorum omnium. Custodiuit enim Dominus introi-
tum et exitum ipsius, iuxta regium vaticinium. Ipsa est principium via-
rum Dei.

Alphonsus Cabrera circa 1605.

Dominicani Cordubenses anno 1608.

Cabrera conuiones Theologi ex ordine Predicatorum in Monasterio Sancti
Pauli Cordubæ, sicut et alia eius opera, plus quam ordinariam appro-
bationem habere in earum prefatione testantur, ubi etiam honoris cau-
sa Monstrum ab ingenio appellant, raram Phanicem et Hispamiæ hor-
rorem in perorando, Christianum deniq; vobiscum caritatis Cæronem. In
huius ergo Latini Monstri Conuione prima de Conceptione in Introductio-
ne pag. 179. legimus.

Novus redimendi modus est iste in B. Virgine et singularis. Plus est
preseruare ab infirmitate, quam curare eam postquam quis in eam in-
cidit. Et Deus non tantum potens est ad liberandum à captiuitate
et seruitute, sed etiam à debito incidendi in Captiuitatem.

Et Serm. 2. de Concept. consid. 3. pag. 202. Puritas Christi Dei
et hominis est, non habuisse peccatum originale, neq; potuisse habere
ex natura sua; propinqua huius est B. Virginis puritas, que quamuis
originale peccatum habere potuisset, ex natura sua, fuit tamen
preseruata ab illo per speciale priuilegium gratia.

Laurentius Gutierrez Anno 1618.

Hic eruditione, prudentia et eloquentia insignis Preologia in Academia Complutensi Doctor eo anno ad Regem Catholicum Consultationem scripsit in qua non modo Negatiuam sententiam omnibus ingenij uiribus tuetur, sed etiam operose demonstrat, et pax publica et auctoritatis Ecclesie, et ipsorum Dominicanorum honoris atq; utilitatis multis modis interesse, ut Dominicani omnes non modo Affirmatiuam missam faciant, sed etiam Negatiuam populis proponant et commendent, quemadmodum Ordinij sui legibus obstringuntur, ut illas etiam De Roma opiniones quas ipsi non probant, tamen quia probabiles sunt ob tanti Doctoris auctoritatem in lectionibus suis doceant, ac defendant, idq; pax causa, ne in ordine sint Schismata, sed id ipsum dicant omnes. Multo igitur magis propter Ecclesie totius pacem ne in illa sint Schismata, sed id ipsum dicant omnes. Negatiuam ~~ex~~ tueri eos debere, quamuis aliter ipsi sentiant, cum tantam ei probabilitatem Ecclesia Romana auctoritas, et omnium aliarum Religiosarum Sodalitatum, Academicarum, Episcoporum, Regum, Principum, omnis deniq; Christiani populi consensus attulerit, quorum omnium sensum pre suo contemnere pessimam intolerabilis arrogantia sperem prebeat. Opera pretium fore videtur ex eius Consultationis Epilogo pauca quaedam specimen causa hic referri.

Sicam (inquit) sententiam sapientissimi isti Patres aut pro certa habent, aut pro dubia. Si pro certa, grandem profecto quasi uniuersa Ecclesie faciunt iniuriam, que tam constanter affirmat et veneratur contrarium. Si pro dubia, nullo genere minor videtur iniuria, quam matri Dei faciunt, cum in re dubia non potius B. Virgini fauent, eam uelut boni gratiq; filij cum omnibus alijs fidelibus omni decore liberantes, et auctoritatem eius augentes ad promouendam erga ipsam omnium amorem et deuotionem unde cultus et gloria filij eius publicumq; totius Humani generis bonum usq; eo dependet. Incredibili quoq; detrimento auctoritas et reputatio Apostolica sedis afficitur, si non unus et alter, sed complures Pontificum (bona quamuis intentione) dicantur decepti fuisse in re tam uniuersali, qualis est celebratio festi Immaculatae Conceptionis, eiusdemq; officij approbatio, et indulgentiarum concessio ijs facta qui orationes recitant in quibus Virgini a peccato immunitas affirmatur confirmatio deniq; Religionis sue ordinis Monialium Immaculatam Virgini Conceptionem ipso nomine atq; habitu profitentium. Quid dicit Hereticus qui potestatem negat Pontificis, cum audet Sacram Predicatorum familiam unam primariam Ecclesie columnam, totum istud superstitionis et uanitati; condemnare, quodq; nihilo minoris est momenti, id pro tali re habere, que omnium sanctorum auctoritati aduersetur?



111 115
Per Deum eos obtestor ut rem hanc sine partium studio et affectu per-
otium etiam atq; etiam considerent, simulq; comparatione facta iudi-
cent, utra res plus Ecclesie damni afferat, istane affirmatiua, ex qua
iactura auctoritatis Pontificiae est certa, an altera negatiua, ex
qua iactura auctoritatis Sanctorum Patrum est dubia tantum, et
vano metu confusa. Honestam profecto oratio, si dicatur Papa propter
Eumanos respectus vetuisse, ne quis communem Sanctorum Patrum
sententiam praedicare aut defendere audeat. Minime difficile quic-
uis persequerit Zelo Ecclesie defendenda eam sic affligi ac proferri.

Totus Ordo Praedicatorum anno 1622.

Hoc anno a. d. 10. Aprilis iuene Generalis Magistri Ordinis Praedicatorum
ac nomine totius Ordinis Illustrissimis S. Officii Inquisitionis Cardinali-
bus libellus fuit exhibitus in quo indirecte ac testibus Negatiua senten-
tia quinque modis faueri videmus. Primum enim totus Ordo rem illam,
quam Ecclesia in Conceptionis festo celebrat, veram, certam et indubitam
esse confitetur, idq; hoc argumento, quoniam Ecclesia sit columna et
firmamentum veritatis ut errare non possit, ac neq; errandi
periculo exponi. Atq; hoc germanis D. Thoma discipulis dignum
est. nam et ille sic argumentabatur. Quicquid Ecclesia festo tam-
quam sanctum celebrat, id certa et non dubie Sanctitatis esse oportet,
cum Ecclesie consuetudo in nullo veritati regnet ac propterea
ab omnibus emulanda, et quamuis nulla eius sit ratio, dicto
tamen cuiuscumq; Sancti Doctoris preferenda sit. Natiuitatem
vero Virginis Ecclesia festo celebrat. Natiuitatem ergo Virginis certa
et non dubie Sanctitatis esse oportet. Hoc ergo D. Thoma argumen-
tum est, cuius exemplo et ex eo quod Ordo Praedicatorum vltro
concedit, hoc pro Negatiua conficitur argumentum. Quicquid Ecclesia
in Conceptionis festo celebrat, res vera est certa et indubitata. Jam
vero Ecclesia in festo Conceptionis ipsa se preservationem Virginis
ab Originali peccato et Immaculatam Conceptionem celebrare fert aper-
tissime, ut omnes videre possunt in officio suae Rituali Conceptionis,
quod scriptus IV. ab Ecclesia Romana ordinatum sive institutum
testatur. Preservationis igitur Virginis ab Originali peccato et Im-
maculata Conceptio est res vera certa et indubitata.

Deinde in eodem libello totus Ordo affirmatiuam, incertam et
dubiam esse confitetur, ac falsam esse posse assentitur: cui conse-
quens est nemini religionem seu Conscientiam obstare, quo mi-
nus sententiam affirmatiuam abycere et cum reliqua Ecclesia
tota sentire possit. Suam enim Ecclesia sententiam nequaquam

Dubiam esse, nec falsam esse posse credit sed velut veram et certam in officio Conceptionis proponit, multisq; scriptura et S. Patrum auctoritatibus confirmat. Alioquin fides omnes Deo mentiendi et sibi ipsis civas impetrandi periculo exponeret, cum in eodem officio Eam Dei invocandi formulam dicat: Deus qui per Immaculatam Virginis Conceptionem, dignum filio tuo habitaculum preparasti, quosumus, ut sicut ex morte eiusdem filij tui praevisa, eam ab omni labe proseruasti, ita nos quoq; mundos ad te peruenire concedas. Certe si falsum esset quod de Virginis proseruatione dicitur omnes Christiani eadem oratione Deum precarentur, ne unquam ipsos ad se peruenire concedat. Preterea quis ferat orantem, non hominibus sed ipsi Domino mentientem, si non fecit Deus, quod isto carmine seu formula Orationis fecisse dicitur? Ex isto ergo totius ordinis libello qui affirmatiue adhaerent discere possunt, non debere se metuere, ne in veritate peuent, si suam incertam et dubiam minime incerta aut dubia totius Ecclesiae sententia concedant. Ipsa porro libelli verba in dubij secundi resolutione sunt ista:

Ecclesia in hoc festo non celebrat aliquam ex his duabus opinionibus quia una ex illis a parte rei falsa est, et utraq; iuxta Constitutiones Apostolicas est probabilis, atq; adeo incerta et dubia, et potest esse falsa, imo iuxta Aristotelem multa falsa sunt probabiliora veris: sed celebrat rem veram, certam, et indubitatam, quia est columna et firmamentum veritatis, et non potest decipi, imo neq; exponi periculo errandi.

Tertio in eodem libello Ordo totus agnosuit Ecclesiam probabilem fuisse causam, cur B. Virginem ab Originali peccato proseruatam fuisse crederet ac doceret, cui consequens est negatiuam doctrinam Sanctorum Patrum nequaquam repugnare. nec enim vilo modo probabile est quod Sancti Patres improbarunt id quod Eodierney Carolus Regis Confessarius in suo ad Regem libello, adeo amplectitur ut omnem Pontificis potestatem nimis angustis canalibus coërcitum eat, neq; ei definitionem vilius controuersiae nisi de Patrum sententia permittat. Sic quippe loquitur: Omnes nos qui sumus eorum qui fuerunt, discipuli sumus, adeoq; et Papa Sanctorum Patrum, est discipulus, eosq; consulit, et ab illis discit, etsi respectu nostri sit Magister. Sicut enim definiendi auctoritatem habeat, id tamen non facit per nouam reuelationem, sed per consultationem cum Patribus a quibus docetur, ac discit, quemadmodum quidem in bonis Theologiae res condans est et explorata. Minime igitur bonus Theologus fuit S. Thomas cuius 2. 2. quest. 11. art. 2. ad 3. verba sunt: Ecclesia auctoritas principaliter refidet



115
in Summo Pontifice, contra cuius auctoritatem nec Hieronymus, nec
Augustinus, nec aliquis Sacrorum Doctorum suam sententiam defendit.
Unde dicit Hieronymus ad Damasum Papam: Haec est fides, Papa beatissime,
quam in catholica didicimus Ecclesia, in qua si minus perite aut
parum caute forte aliquid positum est, emendari cupimus a te, qui Petri
sedem et sedem tenes; His verbis docet Damasus Papam propterea de fidei
controversiis esse consulendum, et Patribus proferendum, quia certum
sit ipsius sedem non posse deficere et Patres omnem ab eius confirmatio-
ne auctoritatem habere secundum quod Christus Petro et Successoribus
promisit, et commisit: Ego rogaui pro te, ut non deficiat fides tua,
et tu confirma fratres tuos. Sed haec Prologia Sapientissimo Regis
confessario minime probatur. Eum ergo missum facientes ipsa ordi-
nis verba audiamus, quae sunt ista in libelli extremo.

Quod Ecclesia utramque partem, ut probabilem interim statuerit, fecit,
quia habet rationem probabilem dubitandi, an B. Virgo ex privilegio
peculiari sit à peccato Originali immunis.

Quarto eos Ordo impius et Excommunicatus esse contendit, qui Sipti IV.
Constitutionem non observant: cui consequens est. Negativam non
posse cuiquam videri hereticam vel impiam, quin is impietatis crimen,
et Excommunicationis sententiam eo ipso incurrat. Sipti enim lex eos,
qui Negativam condemnant, excommunicat non ea tantum causa quae
assertio, seu sententia eorum sit scandalosa et odia ac discordia excitare
possit (qua sola ratio fuit, cur Affirmativam condemnari vetaret) sed
etiam quia sit falsa, perversa, erronea et à veritate penitus aliena. Si
ergo impius et Excommunicatus recte censetur qui affirmativam con-
demnat, multo rectius talis perhibebitur qui condemnat negativam,
cum peccet non modo contra Caritatem, sicut ille, qui condemnat affirma-
tivam, dicendo id, ex quo scandala et iurgia oriri constat, (Ceteri ex
Negativa condemnationes longe graviora scandala ac discordia cum magna
Dei offensa oriri solere ipsi Pontifices confitentur) sed peccet etiam con-
tra fidem, dicendo assertionem falsam, perversam et erroneam. id quod
in Sipti IV. aliorumque Pontificum constitutionibus diligentissime est
observandum, ut discrimen fiat inter causas Excommunicationis ex utraque
parte hoc modo: Affirmativam damnans Excommunicatur, quia facit
contra Caritatem, non cavendo turbas et scandala. Negativam dam-
nans excommunicatur, quia facit contra Caritatem et contra Fidem.
Contra Caritatem non cavendo turbas et scandala. Contra Fidem, asserendo
opinionem falsam, perversam, erroneam, et à veritate penitus alienam.
His diligenter observatis exploratus de eo iudicari poterit quid in ordinis

Qui affirmatiua sententia auctores appellat impios, et B. Virginis ini-
 micos, ac infamatores et alia similia profert ore matris, reserentes his
 etiam contumelys et opprobrijs Sanctos Patres, qui ita omnes senserunt, se
 afficere, imo etiam ipsam Ecclesiam impiam vocare, qua sententiam affir-
 matiua ut probabilem proposuit, liberam facultatem tribuendo illam
 tenendi. Sed praedicti auctores in his vere impios se ostendunt, Ecclesia
 rebelles, Excommunicatos, suspensos, et irregulares. Omnes enim eas penas
 ipso facto incurrunt, qui talia iactant contra expressa Apostolica mandata.

Postremo totus Ordo Pontificem obtestatur, ut hanc de Conceptione con-
 trouersiam sententiae pronuntiatione expediat, quodq; credendum sit
 de fide definiat; idq; cum facere cum posse, tum publica pars causa debere
 magnopere contendit. Huius ipsa uero de Negatiua sententia non nisi
 optime merentur, siquidem ex modo dictis manifestum fit, si causa defini-
 atur necessario eundem Negatiua pronuntiatum iri, cum illam asserti-
 onem qua negatiua damnat, Sedes Apostolica falsam, peruersam, errone-
 am, et a ueritate penitus alienam, adeoq; manifeste contra fidem esse iu-
 dicarit. Nullo ergo modo Affirmatiua de fide iam definire potest; sic enim
 Negatiua de Heresi condemnaret, quicquid enim est de fide eius contradic-
 tum Heresim esse planum est. Reliquum ergo est, ut Negatiua Pon-
 tificis de fide definiat, quod Ordo totus postulare credendus est cum inter
 huiusmodi resolutione ita disputant.

Expediit ut Sancta Sedes Apostolica ad pacem Ecclesiae prouendam
 et fouendam, et ad ueritatem in re dubia declarandam causam de Conceptione
 de fide definiat, quod Ordo Praedicatorum humiliter sed instantissime
 supplicat Suae Sanctitati, quatenus hoc suauissimo et efficacissimo medio
 paci et tranquillitati Ecclesiae Catholicae consulat. Esse autem causam hanc
 definibilem ab Ecclesia patet, tum quia ita infirmant summi Pontifices suis
 Constitutionibus et decretis Apostolicis, (dicunt enim: quousq; id sit a Sancta
 Sede Apostolica deusum se definiunt), tum etiam quia si causa concep-
 tionis quoad alios omnes homines spectat ad fidem, et est definibilis ab Ecclesia
 imo de facto fuit definita: cur ergo quoad Beatis. Virginem non spectabit ad
 fidem et erit ab Ecclesia definibilis?



Handwritten Latin text, likely a legal or ecclesiastical document, written in a cursive script. The text is arranged in approximately 25 horizontal lines. The ink is dark, and the paper shows signs of age, including yellowing and some staining. The text appears to be a formal declaration or a set of regulations, possibly related to the governance of a church or a specific legal jurisdiction. The handwriting is dense and consistent throughout the page.




280^{bi}

11
985

Cuenta 318 folios útiles foliados
20 Em.º 1905


319 fol. + fol. 251 à 258 rep. + 317 bis + 27 huj. en bl.
faltan los fol. 278 y 279 (rest. compl.º)
15 - Mayo - 1912



Handwritten text in red ink, possibly a date or reference number, located at the top of the page. The text is faint and difficult to decipher but appears to include the year "1902".

A faint purple circular stamp or seal, partially obscured by the torn edge of the paper. The text within the stamp is illegible.





CAJA -2
65